HENRICI JOANNIS NEPOM. CRANTZ ... DE DUABUS DRACONIS ARBORIBUS...

Heinrich Johann Nepomuk : von Crantz

HENRICI JOANNIS NEPOM CRANTZ

S. C. A. MAJESTATIS CONSILIARII, INSTITUTIONUM MED ET MATER MED. VINDOBON PROF. PUB ORD. ACAD. IMPER. NAT CURIOS. ET SOC. BOTANIC. FLORENT. LITT ROBORET. SODALIS.

DE

DUABUS DRACONIS ARBORIBUS BOTANICORUM

CUM FIGURIS ÆNEIS PARTIUM FRUCTIFICATIONIS, DUORUMQUE NOVORUM GENERUM CONSTITUTIONE.

VIENNÆ,

IMPENSIS JOANNIS PAULI KRAUS, BIBLIOPOLÆ VIENNENSIS.

1 7 6 8.

AD
ILLUSTRISSIMUM L. B. ET NOBILEM
TYROLENSEM

GERARDUM
VAN
SWIETEN,

AUGUSTORUM, TOTIUSQUE AUGUSTÆ DOMUS AUSTRIACÆ ARCHIATRORUM COMITEM, INCLYTI ORDINIS SANCTI STEPHANI COMMENDATOREM, AUG BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUM, FACULTAT. MED. VINDOBON. PRÆSIDEM DIVERSARUM ACADEMIAR. SODALEM &c. &c.

CNon eſt Illuſtriſſime Swietene, etiam poſt multas lectiones adeo facilis, ut quidem credere poſſes, Auguſtæ, quam mihi examinandam definiendamque miſiſti, plantæ declaratio, dicam, ut ſoleo, aper-

aperte, jactantior Botanica eſt quam veracior, & dum hodie tota adhuc in ſyſtematum incunabulis & nominum cognomentorumque ineptiis hæret, diverſarum naturam ſtirpium etiam minus, quam diverſorum morborum Medendi ſcientia exigit, nec ſane quidpiam prærogativæ, ut de methodo SAUVAGESIUS glorietur, habet, dum adhuc hodie neſcitur, quid aut in generibus aut in ſpeciebus ſit ſolide confectum, quid demum maneat ulterius conficiendum; quod paucæ admodum ſtirpes vere & ſufficienter deſcriptæ ſint, plurimæ ab illis, qui a Dea ſexus nomen mutuati ſemi-deos ſe reputant, & in Floræ imperio hac ætate parvulos Tyrannos induunt, negligantur, in confuſionis oceano ſine ſpe emerſionis relictæ, fluctuantes.

Vide Illuſtriſſime SWIETENS, quot bene ſint utriusque Indiæ; quot ſint Europæ, aliarumque mundi plagarum, de quarum tamen exiſtentia Auctorum induſtria & icones teſtentur, amiſſe ſtirpes! vide quis in his ſit, & operis & laboris invictorum Virorum ſudor, quæ ſollicitudo, quæ cura, qui ſumptus! & vide ut unico crudelis calami tractu innocentes, quas congeſſerant tota vita fortunas minuto citius, cauſtico liquore abradat imperioſus LINNÆUS! & licet contra Illuſtrem hunc Virum plures plantas nuper, nec immerito vindicaverint tum ADANSONUS, tum SCHREBERUS, aliique Viri celeberrimi, eſſe tamen adhuc plures vindicandas intelliges. Meo quidem judicio æque utilis eſſet, de plantis non recte deſcriptis & ulterius illuſtrandis labor, ac nunc is eſt, de plantarum generibus & ſpeciebus cognitis quidem, ſed haud firma ſede locatis, confectus.

Cum vero ex harum numero ſemper ſit Auguſta, quam mihi miſiſti, planta, vehementer vereor, ut non adeo cito, adeo certo, illi circumfuſam Botanicæ deprimam caliginem & poſteritati ſervem, ut Tu

pene

pene inſuperabiles ab AUGUSTA PATRIÆ MATRE mortis fugaſti tenebras, ILLAM nobis reddidiſti, ſed TU ad ſumma & laudis & gloriæ natus es, & dum TE ſolum mirari non imitari poſſum, patere, ut ea, quam credidi optimam, methodo plantam illuſtrem.

Inter ſtirpes, quæ cinnabarinum ſuccum, quem ob eximium colorem jam DIOSCORIDIS tempore ſanguinem Draconis vocavere, ſudant, ex POSIDONIO reliquit STRABO, arborem Gadibus ramos humum uſque incurvatos habere, frondes ſæpiſſime mucronis ſpeciem geſtantes, quarum longitudo cubitalis, digitorum quatuor latitudo eſſet, huic & hoc innatum eſſe, ut uno fracto ramo lac effluat, radice abſciſſa minii humor exſudet. In Canariis inſulis & præcipue illa Portus ſancti, ſtata anni tempore ex ſauciata ferro arbore gummi fundi, quod ſanguinem draconis vocent, tum CADAMUSTUS *de navigatione*, tum THEVETUS *ſingularum franc. antarct.* teſtatur. Tres arbores induſtrius FLACOUR *Hiſt. de l'isle de Madagaſcar*, quæ draconis largiantur ſanguinem, excitat, primam Varaucoco, ſecundam Rhaa ſeu ſanguinis, Mauſatra tertiam appellat. DAPPERUS *Hiſt. de l'Afrique & des Isles* etiam Rhaa meminit & aliorum, ſed fatendum eſt priorem virum, ultimo Mauſatra cum fructu Rhaa confundere, hinc itineratores, quorum tamen non exiguus adhuc numerus ſupereſt, dimittam, ut Medicos & Botanicos audiamus.

Vir ſui temporis diligentiſſimus & inſignis CLUSIUS in *hiſt. plant.* I. viſam Ulyſipone 1564. delineavit arborem, quam, quia per caniculæ æſtus humorem funderet, qui in rubram lacrymam condenſatus ſanguis draconis appellatur, draconem vocitavit. MONARDES in *ſimpl. Med. Hiſt.* arborem in Carthagine peruana creſcere, quæ ex inciſione fundat ſanguinem draconis; arborem vero & lacrymam ex fructus figura, quæ ſub extima pelle Dracunculum, quem etiam COMMELINUS vidit, J. BAU-

ſinus, Jonstonus ex Monarde delineavere, referret, draconis nomine inſignitas fuiſſe putat, nova omnino Plinianæ ſuggeſta fabula. Hernandes *Rer. Med. novæ Hiſp. Theſ.* duarum arborum, quæ ſanguinem draconis funderent memoriam inutilem ſatis conſervavit, primam Ezqvahvitl ſanguinis arborem vocat, alteram Ezqvahvitl alteram; hanc ejus commentatores Draconis Clusii ſtirpem male omnino credidere, notam tamen priori apponentes Tum etiam Bontius, imprimis vero Kempferus *Amœnit. Exot.* ex ſua Rotani Dſjerenang ſanguinem draconis parari, contendere, quibus plures alii acceſſerunt, & Gottfridus Vrius materialiſta Wormatienſis, medicamentorum, antequam Indias adiret, intelligentiſſimus, apud Valentinum *hiſt. ſimp. reform.* & ipſe demum Rumphius *amboi.* V.

His etiam temporibus egregius Vir Herbertus de Jager in erudito cum Rumphio litterarum commercio, ex Caliaturo, rubro nempe ſantalo, ſanguinem draconis fundi, evicit, requiſitusque ab eodem illuſtri Viro, quot ex arboribus ſanguinem ſtillare ſciret? reſpondit Rumphius manare primo ex Lingoo, ſecundo ex quadam arbore nucis moſcatæ Metruſidereos moluccæ, quæ amboinice Samar diceretur, qui tamen non colligeretur; tertio demum etiam in vetuſtis & excavatis truncis vulgaris ligni ferri, Caju Beſſi appellant, inveniri. Valentini *Epiſt. Indicæ litterat.* VI. & VII Rumph. *Amb* P. III, p. 21. 25

Joannes Commelinus in *Horti Med. Amſtelod. Catalogo* excitat Palmam pruniferam foliis yuccæ, fructu racemoſo ceraſiformi oſſiculo duro cinereo piſi magnitudine, hanc ſanguinem draconis largiri, & fructus ſphæricos quatuor linearum diametri flaveſcentes & aliquantiſper acidos: nucleum vero in his contentum nucleo chamæriphes ſimilem eſſe, naſci etiam in Canariis inſulis, potiſſimum vero in inſula Portus ſancti pro-

pe

pe Maderam omnes fere perhibuere; hanc demum etiam Boerhaave vidit. Sed etiam idem Commelinus in *hort. Med. Amſtelod. rarior* 1. p. 213. T. 109. ex ſeminibus a Clevero miſſis, delineat draconem arborem indicam ſiliquoſam populi folio, de qua perhibuit Cleyerus ſcarificatos ramos humorem fundere ſanguinis draconis inſtar, qui illico condenſaretur, hanc ſtirpem dein poſt alios multos officinalem fecit Linnæus, novo Ptericarpi adjecto nomine, omni tamen charactere botanico vacuo.

Nunc vero Illuſtriſſime Swietene de quibus loquerentur omnes hi Viri clariſſimi plantis, ſatis incertum manſit; ſyſtematicorum nullus has diſcriminavit, plurimi in integrum in ſuis generibus omiſere. Quanquam vero omnium primus Cæsalpinus Methodicorum parens, ſanguinem draconis in primam claſſem arborearum ſtirpium, ſectionem quartam pericarpio tectarum reponeret, etiam meminiſſet ex Clusio Rajus, ut ejus apud poſteros memoria nulla ſupereſſet, in indice univerſali ſecundum nomina Auctorum per omnes univerſales methodos facto, expunxit illuſtris Linnæus, aſtute evitans difficultates, cum nec Turnefortius, nec ſyſtematicorum alter hujus mentionem injiceret, præter magnum Boerhaave, qui poſteaquam palmam ſuam ſextam definiſſet foliis longiſſimus pendulis, abſque ullo pedunculo ex caudice glabro enatis, interrogat, an non eſſet Draco arbor Clusii? in hodiernam diem nemo reſpondit.

Tandem noſtris temporibus diſcedenti in Hiſpaniam Loefflingio multum commendaverat Draconis arborem Linnæus, & jam in Epiſtola quarta refert Loefflingius arborem Cluſianæ ſimillimam a ſe viſam in horto Regio Norbæ Cæſareæ, cujus fructificationem, quod arbos caruiſſet, ex ſchedis & delineatione Medici Vade Angli communicaret

Corolla

Corolla nuda, ad baſin fere ſexfida cum ſole convoluta.
Stamina ſex, ſingula petali medio inſerta.
Fructus ſucculentus. Pedunculi ut in aſparago, quæ Corruda tertia Clusio.

In epiſtolæ quintæ fine aſſerit, ſe nunc convictum eſſe Draconis Clusii arborem, ad Aſparagos ſpectare, dum panicula florum Corrudæ tertiæ Clusii eſſet ſimillima, pedunculi etiam biarticulati; dum, quos inferne educat ſtolones, divaricationes ramorum ſingulares, inflexæ & antrorſum dependentes, ſimillimæ viderentur aſparagis. Adhæc tum in præcedentibus aliiſque litteris, ſpem certam Linnæo fecit, fore ut, & Medicus Vadi quam multoties promiſerat delineationem, & Don Pedro Virgilio Chirurgus plantam juniorem, illi mitterent, ſed cum in altera ſpecierum editione ſe nondum fructificationem, quam hæc ſtirps Ulyſipone & in Hiſpania produceret, obtinuiſſe referat Linnæus, magnorum hominum exempla, quos promiſſa nec premunt nec adſtringunt, ſecuti ambo videntur.

Ultimo demum inter ſpecies plantarum obſervatas in itinere a Cumana ad fluvium Oronico per Barcellonam & las miſſiones de Peritu, recenſet indefatigabilis Loefflingius draconis a ſe viſam arborem hoc nomine

Pterocarpus draco.
Arbor Draconis.
Mucanana Indis

Hujus vero, licet defloruiſſet, ſequentem dedit deſcriptionem N^ro 147.

Arbro

Arbor alta ramoſa: ramis hinc inde erectis, modicis numero.

Folia h. t. pauca non deciderunt, alterna, pinnata, digitata, longa vel paulo longiora. Foliolis oppoſita oblongis uncialibus, obtuſis, leviter pedicellatis cum impari, glabra h. t. pallide viridia. *Petiolus* communis teres; partiales teretes, breviſſimi, lineæ longitudine pubeſcentes.

Calyx monophyllus, tubulato-campanulatus, quinquedentatus, dentibus tubulato-acutis.

Corollæ vexillum ungue oblongo, lamina ſubrotunda-cordata, patens, convexa. *Alæ* lanceolatæ vexillo paulo breviores, *Carina* brevis quinque videtur.

Stamina connata.

Legumen pedicellatum membranaceum ſubrotundo-oblongum, planum, medio utrinque prominulum, inæqualiter convexum, margine interiore callo tum; aus fibriſis lignoſis, ipſaque ſubſtantia lignoſa, pro appendicibus 2. 3. 4. loculis linearibus, tranſverſis, ſeminibus totidem oblongis, altera extremitate craſſiore, antrorſum appendicula notato, hilo in ſinu appendicula affixo, ſinguli loculi verſus hanc extremitatem. Ergo diſtinctum genus crederem.

Tum N^ro. 168 dicit ſanguinem draconis occidentalem ſe habere ut ſanguis draconis orientalis, diſtinctam tamen ſpeciem eſſe, cujus character ſequens eſſe poſſet.

Calyx monophyllus tubulatus, baſi obtuſus, quinquedentatus.

Corolla papilionacea calyce duplo longior. Vexillum ungue oblongo; lamina ſubrotunda. *Alæ* lanceolatæ vexillo breviores.

Stamina decem connata, adſcendentia.

Antheræ - - - -

Germen oblongum, compreſſum, pedicellatum; *Stylus* ſubulatus.

Legumen ſubrotundo-oblongum, planum, membranaceum, uniloculare, intus lignoſum.

Dein adhuc Jacquinius in *Select. Stirp. Americ. hiſt.* Pterocarpi officinalis meminit in Tierra Bomba creſcentis, quem incolæ *ſangre de dragos* appellent, quanquam vero vir clariſſimus fructificationis nullam partem, quod dolendum, viderit, teſtatur tamen arborem ipſam variis in locis inciſam brevi totam ſpectaculo ſane non injucundo repleri guttis ſanguineis rutilis & liquidiſſimis, eodem perfecte modo, quo per genas cadunt infantum lacrymæ, ſuper trunco defluentibus, quæ poſt minutorum ſpatium aliquot, præcipue æſtuante ſolis ardore indureſcant & ſanguinis draconis nomine colligantur. De Myroſpermi ſanguine non meminit, nec arborem Draconis Clusii vidit.

Ergo nunc Linnæus ex Loefflingii mente, non ſine dubitatione tamen, Aſparagis plantam Clusii inſcribere in ſpecierum editione ultima, hac definitione, his ſynonimis.

14) Asparagus? *draco*

Aſparagus caudice ſimplici, foliis enſiformibus mucronatis, ſubcarnoſis, imbricatis patentibus.

Cordyline foliis inermibus integerrimis flaccidis. Royen *prod.* 22.

Palma foliis longiſſimis pendulis, abſque pedunculis e caudice glabro enatis. Boerhaave *Ind. alter.* 2 p. 169.

Draco arbor. B *pin.* 503 Clus. *Hiſt.* I. p. 1. icon.

Habitat in India orientali.

Ad

Ad hæc etiam arborem, officinis, ut credit Draconis ſanguinem largientem, ejusdem editionis appendici inſerre.

543) Pterocarpus *draco*.

Mat. Med. Jacq. *Hiſt.* 283. T. 183. T. 92.

Draco arbor. Loef. it. 266. 273. n. 147. 168. ubi duas plantas Linnæus conjungit, an bene?

Draco arbor indica ſiliquoſa populi folio. Comm., *Hort.* I. p. 213. T. 109.

Lingoum. Rumph. *Amb.* 2. p. 205. T. 70.

Myroſpermum?

Habitat in Indiis.

Præter illuſtrem hunc virum vix ullus quidpiam de planta Cluſiana memoriæ prodidit præter Adansonum, ſi alicui ita videtur, qui familiæ Liliaceorum, ſectioni Hyacinthorum generi Cordyline immiſcuit, his in indice p. 543 ſynonimis.

Cordyline Royen.

Korduline græke pro græce ex nova correctione Adansoni.

Draco Clusii.

Sanguis draconis officinar.

Diagonalis Fragos.

Katukapel. H. Mal. XI. T. 42.

Kadenako Malab.

Aloe Comm. *Hort.* 2. T. 21. 26. Pluck. T. 256. F. 5. *Hyacinthoides* Linnæi nunc Aletris *Hyacinthoides* Ejusdem

 cu-

cujus fructum capſulam trilocularem LINNÆUS, baccam vero trilocularem ADANSONUS facit. Viderint ipſi!

Aliam vero, quam LINNÆUS reputaverat officinalem plantam, officinis expulit, repoſuitque in familiam Leguminoſarum hoc iterum genere & ſynonimis,

Lingoum. RUMPH.
Anxana. RUMPH.
Angſava. COMM.
Pterocarpus. LINN.
Myroſpermum. JACQ.

Non Ego nunc Illuſtriſſime SWIETENE, aut in ea LINNÆI, aut ADANSONI, aut aliorum cauſa, de genuina ſtirpe draconis ſanguinem officinis ſuppeditante, ſedebo judex, incertus ſententiæ, nec quidquam ſane intelligerem, etiamſi duplicem ſuam clavim tam externam quam internam offerret LINNÆUS, aut BRAMANUM manuſcriptum, aut ortographias latinam & gallicam vitiatas ADANSONUS, ſufficiat meminiſſe pro Rotang, quæ optimum largiatur draconis ſanguinem, eſſe KÆMPFERUM, VITUM, RUMPHIUM, HYDE *the Maech*, pro indica ſiliquoſa arbore MONARDEM, POMETUM, COMMELINUM, JACQUINIUM non meminiſſe RUMPHIUM, nec LOEFFLINGIUM, nec recte conſentire CLEYERUM; de Palma prunifera, de Dracone CLUSII nihil certi perhiberi poſſe, cum ab omnibus ſemper confunderentur; priorem tamen tueri COMMELINUM, KÆMPFERUM, Alios, poſteriorem LEMERY, VALENTINUM, ADANSONUM. Tum quoque VALENTINUS utramque arborem, & illam draconis CLUSII, & illam ſiliquoſam, genuinum ſanguinem draconis officinis ſuppeditare, &

offi-

officinalem lacrymam e diverſis arboribus & in diverſis regionibus emanare & colligi, SAVARY dict. du Commerce, & VALENTINUS, & alii teſtatur, ſed res ſuas ipſi diluant, dum ego quantum quidem ex rerum omnium obſcuritate licet, eas ad vexilla ſua revoco ſtirpes, de quibus ſcriptum eſt ſanguinem draconis largiri. Sit igitur dilucidationis cauſa genus officinale, non Botanicum.

DRACO

CHARACTER, Stirps omnis cui vel inciſæ, ruptæ, aut arte vexatæ innatum eſt ſanguinem Draconis ſuppeditare, ita vocatur.

1) DRACO *Cluſii.*

Draco arboreſcens, foliis integerrimis longiſſimis patentipendulis, flore inverſe campanulato exiguo.

Draco arbor CLUSII *hiſt.* I. p. I. icon, deſcriptio. TABERN. eadem, CASTOR DURANTE eadem, VALENTINI *Muſ. Muſæ*. eadem, ſed mirum in modum efficta, dum illi fructum appendit, ut eum gerit Palma oocifera indica major JONSTONI *Dendrolog.* T. XLVI aut Palma ſanſelifera Ejusdem T. XLVII. Cæterum eſt etiam JONSTONI eadem, qui tamen eam plantam cum illa MONARDIS confundit, ut VALENTINUS cum dragonali. LOEFFLING. *iter* Epiſt. IV. V. certo.

Aſparagus draco LINN. quoad nomen.

Cordyline ADANSONI. quoad idem.

In Canariis.

2) DRA-

2) Draco *Dragonalis*.

Draco arboreſcens foliis integerrimis longiſſimis pendulis, flore campanulato multo majore, fructu oſſifero.

Dragonalis Hollebecque apud Clusium.

Draco arbor oſſeo Ruſci nucleo Clusii in notis ad Monardem.

Draco, Taber. cum icone Clus. Valentini *Muſ. Muſeo.* eadem ficta & in explicatione cum fructu oſſifero.

Palma prunifera foliis Yuccæ fructu racemoſo ceraſiformi oſſiculo duro cinereo piſi magnitudine. Commel. *Hort. Med. Amſt. catalog.* Kæmpferus *Amænit. exot.* unde ſanguis draconis in glebis. Hortus Beaumont. p. 33. Sloane *catalog. plant. inſul. Jamaicæ*, qui tamen iterum cum priori confundit.

Palma foliis longiſſimis pendulis, abſque ullo pedunculo ex caudice glabro enatis. Boerh. *ind. alt. plant.*

Cordyline foliis inermibus integerrimis flaccidis. Royen. *prodr.* ex Synonimo Boerhaave.

Aſparagus *draco*. Linnæi. ex eodem.

Tum alibi tum in Canariis inſulis naſcitur, potiſſimum in inſula Portus ſancti prope Maderam. In Maderæ ſepibus prope Funchal.

3) Draco *Dracunculus*.

Draco arboreſcens, foliis pinnatis; flore fructuque leguminoſis.

Draco arbor indica ſiliquoſa populi folio Angſana vel Angſava Javanenſibus. Comm. *Hort.* I. p. 213. T. 109.

Lin-

Lingoum. RUMPH. *amb.* 2 p. 205. T. 70. conſentiunt icones, deſcriptiones floris flavi odori, & fructus, COMMELINI & RUMPHII.

Arbor ſanguinis draconis, MONARDES *ſimpl. Med. hiſt.* POMET, *dict. des drogues.* VALENTINI *Muſ. Muſæor.* J. BAUHINUS. JONSTONUS iconem ſerinum ex MONARDE dederunt.

Pterocarpus draco ſeu mucanana Indis, LOEFFLING. JACQ. LINN.

Lingoum ADANSONI, qui ſtamina ſoluta dicit, fructum orbicularem, ſiccum, præterea nihil de eodem. Hæc vero ſynonima omnium authoritate conjuncta ſervavi; Ego enim plantam non vidi.

Per omnes Amboinenſes inſulas, tum per aquoſam Indiam a Malacca per Sumatram, Javam, Macaſſaram usque in Moluccos, Javæ & Bataviæ urbis incola eſt. Creſcit etiam in ſylvaticis Tierra Bomba, ſi vere hæc eſt.

4) DRACO *Rhas.*

Draco arboreſcens foliis pyri longioribus; flore igneo liguliformi, fructu pyriformi 5-cornuto.

Rhas Afris. FLACOUR *hiſt. de l'isle de Madagaſcar.* DAPPER *hiſt. des isles de l'Afrique* p. 453.

In provincia Machicora &c. adhuc hodie a Botanicis ignoratur.

5) DRACO *Santalum.*

Draco - - - - - - -

Lignum Calesturicum. JAGER. apud VALENTINUM

Kakka

Kakka Tsjandanam Brachmanum, ſeu lignum ſantalum ſanguineum.

In Coromandel, etiam copioſius occurrit in Africæ ora orientali Madagaſcar, Lanzybara, Rumphio teſte. Santalum rubrum hodie omnibus Botanicis ignoratur, in cauſa eſt Linnæus.]

6) Draco *Rotang*.

Draco arundinacens foliis caudiceque ſpinoſis; fructu ſquamulis loricato.

Arundo farcta ſeu palma conifera ſpinoſa Rottani Dsjerenang. Kæmpf. *amœnit. exoticar.*

Palm-juncus draco Rumph *amboi*. 5 p. 114. T. 58. F. 1;

Arundo farcta orientalis ſanguinem draconis manans. Mor. III. p. 220.

Palma amboinenſis ſanguinem draconis fundens altera*, foliis & caudice undique ſpinis longis acutiſſimis nigris armata. Sherard.

Calamus *Rotang*. Linnæi, qui præcipitantius quam maturius, fere omnes palm-junci ſpecies Rumphii, & Calapparium, & nigrum, album, verum; viminalem, equeſtrem, Zalaccam, conjunxit, & fructum officulo fœtum, quod Morisonus, Adansonus, & ipſe etiam Rumphius viderunt conſtanter, in generico charactere omiſit, ita demum verum eſt ex exemplari ſicco non bene genera conſtitui, & genuinum Botanicum ex iis hæc nunquam moliri debere.

Rotang Adanson. qui palmam facit

In

In India orientali, in Sumatra, Amboina, & apud Nigritas orientis, Malajos, Javanosque ſanguinem draconis optimum & genuinum inde conſici Kæmpferus, & longa declaratione Rumphius *amb.* 5. ad vocem *palm-juncus Draco* ex auctuariis.

Omittam nunc alias harum, aliarumque regionum plantas, quæ ſanguinem fundere dicuntur, tum quod de his non ſatis conſtet, & de novo confirmandæ ſint, ut Ezqvahvitl Hernandis, Vatucoco Flacour &c tum quod ex aliis ſtillans ſanguis non colligatur, ut in Metroſideros *amboinenſi* foliis bi-tri-jugis, ſiliqua longiſſima, Metroſideros *moluccenſi* foliis ovato-lanceolatis, ſerratis, fructu minimo anguloſo Rumph. *amb.* III. p. 21. 25. & aliis *Ambo.* II. p. 50 a Linnæo in ſpeciebus omiſſis, etiam ad diverſarum rerum lanæ, retium tincturas adhibeantur aliæ, ut Mangium, Calendurium, Tanarius. &c.

Quæ omnia cum ita conſtituta ſint Illuſtriſſime Swietene facile perſpicis,

I. Humani omnino aliquid paſſum Linnæum eſſe, dum Palmam Boerhaave ſextam fructu pruniformi tegente nucleum durum oſſeum Aſparagis ſuis inſcriberet; primum lapſum Roycnum eſſe, quod Boerhaave erraſſe putaſſet, & ejus ſynonimum ſuæ cordyline ſociaret, erraſſe etiam nimia conjecturantem, & ſibi perſuadentem Loefflingium, probe ſane facturum Adansonum, ſi in opere botanico botanica genera, non linguam gallicam & latinam purgaret; ſed non vult clariſſimus hic vir Linnæo inferior eſſe, qui ita philoſophiam ſuam Botanicam inchoavit; quæ non gloriæ æmulatio poteſt!

II. Non minus apertum Tibi eſſe debet, plantam Cluſii ſecundam, ſeu illam Commelini, Boerhaave, quam inique uſurpaverant 10 ſynonimis, nemo jure habet, reſtituendam eſſe, novoque genere proponendam; Clu-

iri quidem ſententiam *Draco arbor oſſeo Rusci nucleo*, Commelinique definitionem, *Palma prunifera foliis yuccæ, fructu racemoſo ceraſiformi, oſſiculo duro cinereo piſi magnitudine*, & in numeroſo Linnæarum ſpecierum, & vaſtiſſimo Adanſoniorum generum corpore, aſtute omiſſam, Boerhaave vero definitionem *Palma foliis longiſſimis pendulis absque ullo pedunculo ex caudice glabro enatis*, admiſſam, quod priores fructus oſſiculo inſiſterent, poſterior folia tantum, quæ convenirent, in definitionem adferret; ſed utique jam Boerhaavii Vir ſane exactus, fructus oſſiculum durum oſſeum in fronte ſectionis & in ſynonimo ſcripſerat!

Scilicet Linnæi, Adansonique fundamentalis error eſt, quod evitantes difficultates, & ſedentaria lectionum tædia, plantam Clusii ſecundam, ſeu Commelini & Boerhaave, cum prima Clusii invenirent jam confuſam, nec ſeparare facile poſſent aut vellent; en manifeſtam totius rei cauſſam! Botanicos cæterum omnes diligentia & accuratione facile ſuperans ſua ætate Clusius, hic dormitans primæ ſuæ ſtirpis fructus, quos tamen jam magnos viderat, haud religioſe exegerat, de ſeminum natura, numero prorſus nihil perhibuerat, ipſos flores non viderat, dum ſolum in hæc verba ſcriberet „ fructus racematim compactus flaveſcens, aliquan„ tulum acidus; magnitudo exigui ceraſi „ . Tabernæmontanus iconem & deſcriptionem Clusii repetens, explicationi hæc verba ſtatim addidit „ „ fructus pellicula tenuis, nucleus lapideus ceraſi „ eadem Valentinus Muſæo muſæorum cecinit, donec etiam alii nucleum durum nucleo chamæriphes ſimilem dicerent, cinereum piſi magnitudine Commelinus, & ante hos, oſſiculo Rusci apprime convenientem, ſed de alia draconis planta non de arbore draconis Ulyſipone viſa, loquens Clusius, de qua ultima ſtirpe ipſe exactiſſimus vir in notis ad Monardem diſtinctiſſime dicit „ fructus is erat ceraſi magnitudine aut oxymyrſines, rotundus, tenui „ pelle tectus, qua ſublata oſſeus nucleus conſpiciebatur, qualis eſt in „ fructu

„ fructo Ruſci , ſed is nullam animalis nedum dracunculi tanto artificio „ fabrefacti figuram referebat, verum rotundus erat, & lævis, & ut dixi, „ totus oſſeus „.

Cum nunc de dragonalis fructu egiſſet Clusius dilucide, de arboris Draconis ſuæ fructu vero diſtincte nihil memoriæ prodidiſſet & compilatores dragonalis Clusii oſſiculum Draconis arbori Ejusdem appinxiſſent, neſcio qua autopſia, quove Numine moti celeberr. Viri Linnæus, Adansonusve difficiles hos nodos faciliimo gladio ſolvunt, dum hic tanquam a Clusio non deſcriptam dragonalem in generibus ſuis omitteret, draconis arboris fructum globoſo-punctatum trilocularem faceret, alter vero & draconis arborem & Dragonalem iterum confunderet, & utriusque fructum baccatum trilocularem perhiberet, qua in re ambo viri celeberrimi ingraves & multos errores aſſentiebantur.

Neque tamen vel tempore Clusii adeo raræ hæ plantæ fuiſſe videntur, ut vel Linnæus dragonalem quo ad fructum exactius deſcriptam expungere; & arboris Clusii fructum trilocularem dicere, vel Adansonus compilatorum exemplo easdem iterum confundere plantas, & utriusque fructum baccatum trilocularem facere neceſſe haberet, cum præter fructus prius deſcriptos a Franciſco de Hollebecque Regis Hiſpaniarum Hortulano diligentiſſimo ſibi miſſos, anno nonageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum novo vere ſimiles fructus acciperet a Bernardo Paludano Poliatro Enchuſano, & noſtra ætate in Principis Auriaci inſtructiſſimo viridario Honselaardek ſimiles ſtirpes ſe vidiſſe teſtetur Augustorum viridarii Schönbrun digniſſimus cuſtos Dominus Sterhoven, & ipſe attulerit, & viderim allatos, & in horto Amſtelodamenſi, & illo Beaumont videre potuiſſet in Hollandia morans Linnæus, duæ etiam fuerint jam excelſæ ſtirpes magno Principi Eugenio ſabaudo in ſuo viridario Vindobonenſi

C 2 Bel-

Belveder, quarum una vivente adhuc Principe floreret, fructum vero non produceret, & tertia itidem aleretur Viennæ in horto Aulici pharmacopæi STERNECK, quæ, hoc mortuo, empta in HARUCKERIANUM deducta, cura Mauritii SCHERR hortulani egregii floruit, fructumque perfecit multum, quo viridaria Auſtriaca non ſolum, ſed etiam Germaniæ multa, & Belgica refecta, lætas hodie ſtirpes alunt.

Nunc vero utriusque ſtirpis hiſtoriam accipe *Illuſtriſſime* SWIETENE, ut quibus conniveant, quibusve a ſe invicem recedant notis, facilius perſpicere & dijudicare queas, eam, quam mihi miſiſti examinandam, & propter quam præſens hæc diſquiſitio ſuſcepta eſt, prius expediam.

Planta ſextum agens annum Porto Bello (referente Domino STEKHOVEN) 1748 in Hollandiam deducta, nunc Auguſtorum viridario ranſſimo enutrita, cura Ejusdem diligentiſſimi Viri jam menſe Majo protrudere, ſed admodum lente, ſpadicem incœpit florere Julio, & Auguſto fructus oſtendere.

Radices numeroſæ ad caudicem craſſiores, recedendo extenuatæ, ramoſæ, ramis ſtoloniferis reptantibus oram conceptaculi tranſcendere, & in ſubjectam humum dimittere ſeſe dicuntur, ni in eodem conceptaculo vi cogantur.

Caudex a terra conceptaculi elatus, ſeptem pedum longitudine nudus, trium folioſus, in univerſum decem altus eſt, mediumque pedem in diametro horiſontali habet, is hinc inde nodoſus, obſolete rubris tranſverſalibus foliorum latorum cicatricibus variegatus, tamen ſuperne ſatis glaber apparet, ſimplex totus, non ramoſus, qua in re ab icone CLUSII recedit, & magis illis ſimilis eſt, quos COMMENTATORES in MESUEM Monachi ſe Ulyſipone vidiſſe teſtantur in hæc verba „ ingentes ſcilicet arbores columnarum modo erectas & uniſtipites more palmarum abſque ramis; ſed

eſt

eſt pure accidentalis ramoſitas, ut dein demonſtrabo. Cæterum referente Domino STEKHOVEN primo vere viſcidiorem ſanguinem & majori quantitate hæc ſpecies, quam aliæ, fundit ex nodis caudicis rupta cute exulceratis.

Corona foliorum trium circiter pedum eſt. Folia pedunculo carent, ſed ad ſui exortum lateſcentia imbricatim diſpoſita, caudicem, ſe ipſa invicem amplexando, naſcuntur, unde duos pollices lata (quam, donec ſenſim in mucronem deſinant, menſuram fere ſervant) tres pedes longa, ſubglauca fere carnoſaque facie, canaliculata ita feruntur, ut inferiora dependeant flaccida, media magis pateant, & ſuperiora erecta ſint. In exortu vaginans folium obſoleta purpura margine maxime perfuſum eſt, quæ tamen non adeo per totam folii longitudinem diffundatur, ut igitur a congeneribus non una ratione differat, & hanc draconis arboris latifoliam ſpeciem hortulani vocitent.

Spadix terminalis, e centro coronæ folioſæ egreditur inclinatus, ipſis fere foliis incumbens, ingens, forma vere arborea, durus, fere ligneus, quatuor pedes longus, tres fere pollices in exortu craſſus, paniculatus, racemoſus: ramis ipſis etiam ramoſis inſtructus, antrorſum ſenſim extenuatur. Hic ex pallide viridi albidus, ſine villo, aut rore, aut afflatu ſordide ſubglaucus, primo bracteis, ſeu foliis præcedentibus longe minoribus, vix medium pedem longis, & eadem rubente vagina ortis, alternis ornatur, tum ramificatur, ramis nulla obſervata lege oppoſitis, alternis, quod etiam in ipſis ramorum ramulis conſpicitur, cæterum irregulariter inæqualis eſt, ſtriatus, anguloſus, per omnia glaber tamen, & ſublignea materie factus.

Rami in circulum circumvallato ſpadicis aggeri, ut ramuli ramorum, immerguntur, & quaſi articulantur, firmiter tamen cohærentes & concreti, naturæ & coloris ſpadicis, ligneæ fere compagis, compreſſi, anguloſi, duos fere pedes longi, ramulos ultra medium pedem longos, alternos, etiam oppoſitos educunt.

Spathæ, ſeu circulares undique exortum ramorum ex ſpadice, ramulorum ex ramulis, pedunculorum ex racemo complectentes, membranaceæ vaginæ, primo exalbidæ rubent, dein vividius lateritiæ fiunt, brevi in fine ſphacelandæ & emarceſcentes, dum tamen in circulo etiam præſente fructu perſtant. Hæ ad ramorum ex ſpadice exortum majores ſunt, inferne lanceolato, aut fimbriato fine deſinentes, quod etiam de aliis verum eſt, quæ ſolum pro proportione minores ſiunt, ut fere ad pedunculorum aggregatum agmen ſolæ membranæ circulares ſint, aut ſpernendæ hinc inde laciniæ.

Floreſcentia tam in ſpadice terminali, quam in ramis, aut ramorum ramulis, numeroſa fit floribus per diſtantias aggregatis, & quaſi per phalanges alternas, aliquando verticillatas diſpoſitis, ut omnino multi decidant & abortiant, in quam rem non parum pedunculi contribuunt, dum biarticulati in articulo facile abrumpantur.

Pedunculi, ut dixi, biarticulati, tres, & ultra lineas longi, ad angulum fere rectum egrediuntur, in ſpadice terminali 7. 8. congregati, in ramorum ramis fere ſemper quinque ſunt congeſti.

Corolla obſolete albida, monopetala, profunde ſexſida, pericarpia, ſeu ſupra tumens ovatumque germen expanſa, obſcure ſexangula, exigua.

Laciniæ alterno poſitu ovato-acutæ: nervo medio elevato, craſſo, angulari, albido magis, lateribus vero membranaceis inſtruuntur.

Limbi laciniarum albidi, rugoſi, concavi, antheras recondunt, & ex ventre laciniarum in anguſtatum fere magis collum conivent, grandeſcenti germini inſidentes, erecti.

Stamina membrana conſtituuntur triangula, laciniarum naturæ, quarum etiam baſi inſeruntur, hæc, ut laciniæ, concava germini incumbunt, antherasque ſuſtinent ſex, oblongas, herbaceo flavicantes, erectas, laciniarum, quibus reconduntur limbis, minores.

Ger-

Germen ovatum ſuperne durius educit cornu, quod tuba membranacea conoidea incluſum quaſi vaginatur, ut fere duplicem adeſſe tubam velis, unam alteram vaginantem; proprie vidatur baſis tubæ interne firmior eſſe.

Tuba membranacea, longa, antheras æquat certe longitudine, plerumque ſuperat, tuncque in latus inclinata eſt.

Stigma trigonum, primo obſcure ſectum trilobum, dein compreſſum latius ex polline granuloſum, non amplius adeo trigonum apparet.

Fructus multa notanda habet, dum piſi majoris magnitudine eſt, & major, tribus exiguis ſulcis percurſus viſitur, ſucculentus eſt, herbacei ſaporis, incertæ aciditatis, diſciſſus trilocularis eſt, in ſingulo loculo ſemen unum recondens, quod majori albedine diſtinguatur. Major, multa ex priori ſtatu habet, ſed loculos unum, duos adhuc viſibiles eliſos, in quibus ſemen jam abortierit; dum eam magnitudinem affecutus eſt, quam valet, tum craſſius ceraſum æquat lineis adhuc percurſus, globoſus, ſed ſæpe gibbus ex inæquali ſeminum incremento Ceterum totus profunde & ſplendide viridis, ſi afflatus, quo, æque ac Pruna, obducitur, deterſus ſit, deguſtatus minime acidus eſt, & a quacunque cauſa emarceſcens, aurantiacam flavedinem induit, quem colorem naturaliter maturatus (maturatur vero difficulter & longa ætate) etiam habere videtur.

Semen in hoc ſtatu unum, duo, tria non exigua, albiſſima, materie ſuberina, elaſtica, compacta valde, tanquam duriſſima ſambuci medulla, in qua ne microſcopium quidem poros detegere valeat, conflata; deguſtata dulcedinem ſaccharinam leguminoſam recentium piſorum ſed fugacem habent; ipſa ſubſtantia elaſtica dentibus dividi renuente & elaſtica perſtante; atque hæc quidem in bacca viridi delineata ita ſe habebant.

Adultior fructus prima & undecima Martii hujus anni, ſexageſimi octavi ſupra milleſimum, hinc ſeptem a prioris delineatione deſcriptioneque

que menſibus examinatus, præcedenti delineato notabiliter minor deprehendebatur, tum quia magis collapſus & foveato -rugoſus viſebatur, tum quia unicum ſolum ad frugem deductum ſemen continebat, porro evanido afflatu minus nitide viridis, in ſordidam obſcuramque rubedinem tendebat, & ex ſubtiliter hinc inde rupta cute, quaſi venis ſanguineis ab effuſo minii ſucco variegatus, tribus diſtinctis ſatis ſuturis percurrebatur. Semen, dum diſcinderetur, unicum globoſum viſebatur, quod per totam fructus, quam extenuaverat, ſubſtantiam, diffuſum emolliti cornu naturam induerat, difficulter enim admodum, & cum manifeſto ſono & ſtridore, etiam acuta cultri acies id ipſum permeabat, & diſſectæ per medium partes in menſam incidentes inſtar corporum elaſticorum reſiliebant, & in alteram diem in cubiculo calefacto detentæ, inſtar cornu induratæ vix rapſari poterant.

Decima quarta May deguſtatus aurantiacæ flavedinis alter fructus, ingrati & nauſeoſi ſaporis, non acidi, ſemen habebat unicum globoſum majoris piſi magnitudine politura ſere & colore, umbilicum inferne ſatis latum rugoſum cum diſco obſcurioris coloris. Semen in aere indurabatur in corneam naturam; cutis ejus rugoſa fiebat.

Multis igitur modis ab Aſparago differt, cum nec laciniæ tres interiores apice magis quam aliæ reflexæ ſint, minus adhuc ſtamina filiformia, aut antheræ ſubrotundæ deprehendantur, nec tuba breviſſima ſit, aut in ſtigmate punctum prominens, ut pro Aſparagis poſtulat Linnæus, quanquam tamen & hic character falſus ſit. Fructus quidem in hac immaturus, ut in illo trilocularis eſt, ſed in hac ſingulus loculus non ſemina duo, ut in illo habet, nec hæc anguloſa ſunt, aut cortice exteriore membranaceo nigro obducta; adde maturum monoſpermum eſſe loculis aliis ex majori unius ſeminis incremento eliſis, quod in aliis non obſervetur, & maturum fructum ſemen unum, vel duo oſſes habere. Ergo nunc meo jure utar

&

& viro in re herbaria ob vires medicamentorum claro, plantam inſcribam; ſit igitur novum hoc genus

STÖRKIA.

CHARACTER. *Calyx* nullus. *Corolla* profunde ſexfida pericarpia, exigua, baſi ſubventricoſa, ſuperne coanguſtata, obſcure ſexangula. *Stamina* ſex, membranacea triangula baſi lacmarum inſerta: antheria oblongis. *Tuba* antheris longior ſtigmate triſulco, trigono. *Fructus* triſulcus globoſus, junior trilocularis triſpermus naturaliter. *Semen* elaſticum ſuberinum. *Fructus maturus* triſulcus globoſus ſæpius uni: aliquando bi: raro trilocularis, cum ſeminibus fere oſſeis globoſis.

1) STÖRKIA *Draco*.

Störkia arboreſcens foliis enſiformibus ſubcarnoſis imbricatis patenti-pendulis.

Draco arbor LOEFFLING. iter. Epiſt. IV. V. certo. CLUS. hiſt. l. p. I. ſeu planta prima.

Aſparagus draco LINNÆI, certo, non vero ſynonima. Alia, ob incertitudinem clare jam antea demonſtratam, non addo, licet ex ſequenti forte multa hoc ſpectent.

In Canariis, Porto bello.

Iconum illuſtratio.

F. 1. Tota planta.

F. 2. Portio ſpadicis ad naturam exacta, ea ſcilicet, quæ ad finem tendit ſeu terminalis eſt, difficulter admodum marceſcentes illæ circulares ad exortum aggregatorum pedunculorum vaginæ exprimi patuere.

N^ro. 1. Corolla parva abortiens.

2. Corolla naturalis magnitudinis.

3. Eadem microſcopio aucta, ut facilius conſpiceretur laciniarum concavarum ſtamina & antheras concludentium natura. Eadem hac figura manifeſtius videntur piſtillum unum quaſi vaginans alterum, & pedunculorum biarticulatorum modus, & membranacei laciniarum margines.

4. Stamen membranaceum, triangulum, anthera hamata inſtructum.

5. Bacca naturalis magnitudinis, ſed inter alias major electa, glaberrima tribus ſulcis percurſa, perſtanteque piſtillo donata.

6. Eadem tranſverſaliter per medium ſecta, in qua conſpicua ſemina duo magna ſpongioſa, candida, cum nigro abortientis tertii loculo.

7. Seminis diſſecti convexa ſuperficies.

8. Semen oſſeum ut ſexto menſe, etiam ſerios viſum.

Nunc demum devolvor ad alteram illam Closii, ſeu Commelini & Boerhaave ſtirpem, priori externa facie in multis ſimilem, quæ Viennæ in Haruckeriano horto culta, cura diligentiſſimi hortulani Mauritii Scherb ſpadicem (aliud enim vocabulum non ſupereſt) protrudere incepit vigeſima ſexta Junii anni 1756, pandere primum florem decima ſeptima Julii, & totam racemoſam paniculam floribus læte exornare ejusdem menſis vigeſima quinta die. Arborem hanc, quæ etiamnum in eodem horto enutritur, ipſe vidi, & florentis ſtirpis effigies plurimas penicillo expreſſas.

Radices pro arboris mole nec craſſæ, nec longæ, ſtolones nunquam obſervante hortulano emiſerunt, ſed bene minimas radiculas, carnoſas, ſucculentas, pallide, Boli armenæ inſtar, rubentes, compreſſas, crepitantes, deguſtatas non multæ nec gratæ ſapiditatis. Mea de radiculis obſervatio eſt, cui & illa adjici poteſt, quod ſtolones in junioribus plantis ob-

ſer-

ſervaverim æque ut in priori reptantes, & conceptaculi oram tranſcendentes, imo e caudice in terram conceptaculi angulo ſatis acuto retrogradum ramum immerſum, tum in Auguſtorum viridario, tum in illo Harocker vidi. An id voluit LOEFLINGIUS? dum in Epiſtola quinta ſcribit, divaricationes ramorum ſingulares eſſe, inflexas, & antrorſum dependentes, pulchro exemplo radicis elongatæ ſupra terram in truncum; dum magis apposite ad rem ita me exprimerem, pulchro exemplo ramorum caudicis in radices abſumptorum. Cæterum nec id præterire poſſum, quod nuper in eadem plantâ obſervavi, radicem etiam putridam receptaculi compagem perforaſſe, & inde medio pede longam in aere hæſiſſe.

Caudex dum floreret octo pedes nudus, duos cum dimidio folioſus, in univerſum decem cum dimidio altus erat, undecim pollices in diametro horiſontali habens ubi erat craſſiſſimus, ſimplex, non ramoſus. Idem hodie totus nudus eſt, & ramoſus: ramis ſolum in extremitate folioſis, recte ut vides in icone arboris draconis CLUSII *Hiſt.* I. p. I. ſed tribus ſolum ramis ab anguſtiori principio furſum lateſcentibus, quorum ſingulus tres pedes longus, duos & ultra nudus, reliquus folioſus ſit, inſtruitur. Retulit MAURITIUS SCHERR peracta fructificatione caudicem exareſcentibus omnibus foliis calvum factum, ſe ſpadicis terminalis radices cum caudicis medulla exſcidiſſe, uſſiſſe, & ſolito balſamo ambuſta impleviſſe, inde in ramos extendi arborem cœpiſſe, et nunc liquida patent mente, ramoſitatem caudici accidentalem eſſe, nec hanc, nec ejus *ſimplicitatem*, ut botanicis vocibus utar, in ſtirpis definitione eſſe adducendas, male igitur LINNÆUM caudice ſimplici CLUSII plantam indigitaſſe in ſua definitione, dum ab ipſo CLUSIO & pingitur & deſcribitur caudex decompoſitus, ſeu ramoſus ramis ramoſis, non ſimplex.

Cæterum hujus plantæ caudex præcedenti multa ſimilis, in eo paululum recedit, quod nitidus & glaber magis appareat, non adeo latis folio-

rum cicatricibus vitiatus, etiam ſecundum longitudinem rimas agat, quibus primo vere ſanguinem hinc inde fundat, qui etiamnum concretus illi adhæreat, & abraſus vividiſſimæ ſit rubedinis, alias etiam ex nodis fundit, ut in viridario Auguſtorum *Schönbrun* vidi, inciſus vero nec ſanguinem, nec colorantem ſuccum ſudat.

Corona foliorum, folia ipſa, quæ antecedenti, eadem, niſi, quod ſint aliquantulum anguſtiora, minus carnoſa Iridis magis, dum præcedentia latiora ſunt craſſiura, magis Aloes. Eſt etiam vagina folioſa ſemi-cochleata, amplexans, evidentius flava, & tota flavedinis, ut etiam vaginæ ora, evidentiori lætiorique purpura perſuſa, quæ etiam lateralem utramque folii aciem uſque in mucronem comitetur, flavicante linea utrinque hanc præcedente. Adhæc folia hujus ſæpe purpureis maculis vitiantur, & in vulneris labiis purpuream oram cum tempore contrahunt, ut nunc in multis foliis id ipſum obſervo. Hanc arborem anguſti-foliam draconis hortulani appellant

Spadix terminalis e centro folioſæ coronæ oblique ſurſum ferebatur ab ipſis foliis remotus, duos pedes cum pollicibus quinque longus, ramoſiſſimus, paniculatus, racemoſus, & ejuſdem, ut fidem facit pictura, ac præcedens, indolis.

Bracteæ ſpadicem juxta longitudinem exornantes in præcedenti, in effigie deſunt.

Spathæ ad ramorum exortum in fine marceſcentes exacte notatæ ſunt, colore lateritio præcedentibus ſimiles; illæ vero ſubdiviſionum ramulorum, ut & pedunculorum deſunt, an revera deſint? an, quia ingenio Botanico haud dirigebatur penicillum, ſolum omiſſæ? quis dixerit?

Pedunculi referente hortulano biarticulati erant.

Calyx nullus.

Corolla campanulata profunde ſexfida, aut, ſi mavis, ſexpetala, infera, præcedente longe major, obſolete albida, ſtaminibus longis exertis, tuba

ſta-

ſtaminum fere longitudine, ut ex iconibus dijudicari poteſt. Retulit Hortulanus in floribus nectar eſſe, quod muſcas alliceat, ob eam rationem his immenſam muſcarum frequentiam incubuiſſe.

Stamina ſex, corolla longiora.

Piſtillum unicum ſtaminum longitudine.

Fructus drupa? rotunda, quæ priori baccæ numero 5. minor, alias multa ſimilis ſit, & cute, ut hæc glaberrima, primo viridi, dein rubeſcente, recte ut fructus aſparagi maturus ſolet, cingatur. Sub cute hac, pauca caro eſt.

Oſſiculum unicum ex cinereo albens, politum, piſi majoris magnitudine, durum, ut mallei ictibus frangi debuerit, ut ſemen conſpiceretur, & per bis viginti quatuor horas in aqua macerari, ut terræ mandaretur.

Rogatus nuper ut idem hoc oſſiculum, quod liberali adeo manu horti Botanici ſeminario intulerat laudatus hortulanus Scherr, delineandum concederet Celeb. Botanices Profeſſor Robertus Laugier, pro eo, quo eſt in hanc ſcientiam amore ardoreque retulit, ſe ſemina non habere, nunc memoratam vero arborem in horto Haruckeriano florentem vidiſſe, etiam determinaſſe, fuiſſeque Yuccam *Draconis* L., quæ licet nunquam in horto Botanico, tamen etiam in viridario *Schönbrun* floruiſſet: hæc ille. Ut ergo nunc definiri poſſit

Yucca *Haruckeriana* f. *draconis*. L.

Yucca caudice glabro, corollæ laciniis exiguis, ſtaminibus longis, oſſiculo ſubrotundo.

Hæc res, cum *cl.* Linnæo anſam dare poſſit inquirendi ulterius in ſua genera, maxime vero in genus Yuccæ, & ejus ſpecies, illi ut & Botanicis omnibus gratiſſima eſſe debet, dum interea novum conſtituam

genus; & cum nullius majora ſint in rem herbariam, quam clariſſimi Profeſſoris Haſſnienſis Oederi merita, ſit igitur

OEDERA.

Character. *Calyx* nullus *Corolla* campanulata, ſexpetala, raſera, patens. *Stamina* exerta ſex. *Piſtillum* unicum longitudine ſtaminum. *Oſſiculum* durum piſi magnitudine. A Storchia manifeſte recedit Corolla campanulata, & majore, ſtaminum piſtillique natura · convenit toto plantæ habitu an etiam oſſiculo.?

1.) Oedera *dragonalis*.

Oedera arboreſcens foliis enſiformibus, carnoſis, imbricatis, pendulis.

Synonima dubia

Dragonalis Hollebecque *apud* Clusium:

Draco arbor oſſeo Ruſci nucleo. Clus. *in notis ad Monardem.*

Palma pruniſera foliis yuccæ, fructu racemoſo ceraſiformi, oſſiculo duro cinereo piſi magnitudine. Comm. *Hort. Med. Amſt. Catalog.* Kemp. *Amoen.* Hort. Beaumont.

Palma foliis longiſſimis pendulis, abſque ullo pedunculo ex caudice glabro enatis. Boerh. *Ind.* alt. Plantar,

An Cordyline foliis inermibus integerrimis flaccidis Royen? ipſemet citat Boerhaavium.

Sed non eſt Aſparagus Draco Linnæi, licet habeat priora ſynonima. Quid ſit, vel non ſit Adansoni, ne quidem divinari poteſt.

Eſt Yucca *Draconis* juxta Laugier plantæ florenti adſtantem & determinantem, ſed non eſt Yucca *Draconis* Linnæi, nec ullius alterius Botanici.

In Canariis inſulis prope Maderam.

Ico-

Iconum illuſtratio.

F. 3. Plantam priori, aut Clusianæ iconi ſimillimam delineari non curavi, ſed ſolum partes fructificantes.


No 1. Corolla naturalis magnitudinis clauſa.

2. Corolla eadem jam patens, ſtaminibus piſtilloque exertis.

3. Eadem revolutis laciniis patentiſſima. Oſſiculum pro numero 4. vacuo, unicum obtinere non potui. Bacca rotunda priori ſimillima, ſed minor delineata priori.

Hæc demum ſunt Ill. Swietene, quæ hoc examen attulit, talentum unum mihi dediſti, duo reddo, hoc Tibi, mihi & omnibus Bonis gratiſſimum Störckii, illud Botanicis omnibus acceptiſſimum Ordeei nomine, ſimulque palmam Boerhaavii fictitiam ab his creditam, ab aliis iniquo loco poſitam, reſtituo. Vale.

Viennæ, Typis Joſephi Kurzböck, Univerſitatis Typographi.



A. Capp. M. Seidel et sculpsit

ec 67-374